THESES SELECTAE
EX
LOGICA ET METAPHYSICA
QUAS
SUSCIPIUNT PROPUGNANDAS

D. Raphael De Simone
E REGIO COLLEGGIO
ET
D. Joseph Guerrieri
IN COLLEGIO LUPIENSI

SOCIETATIS IESU

ANNO MDCCCXLIV

Facta cuilibet post quartum arguendi facultate

BARII
Apud Fratres Cannone

THESES
LOGICAE ET METAPHYSICAE

I.

Media humanae naturae ad capessendam sapientiam exhibita in sensibilitate, intelligentia, ratiocinatione, conscientia, et auctoritate contineri ducimus. De eorum veracitate subdubitare prudenter non possumus, nisi omnem humanitatem exuere velimus; quod illis quidem accidit, qui intemperante aut etiam vana dubitatione, scepticorum instar, delectari videntur.

II.

Ad intelligentiam duo pertinent, simplex obiecti perceptio

et iudicium. Ut hoc efformetur comparatio aliqua instituenda est, quam simplex rei apprehentio omnino praecedat opus est. Tantae autem perfectionis habetur, ut sensibus competere nequeat, utpote qui ideis generalibus efficiendis, sine quibus nullum iudicium confici potest, prorsus impares inveniantur.

III.

Certitudo veritatis cuiuslibet ratiocinio comparatae ex principiorum firmitate a quibus legitimo nexu infertur desumi debet; sed ipsa principia si prima sint demonstrationem reiiciunt, pro qua aeque stabile motivum certo praeseferunt, immediatam scilicet obiecti evidentiam, seu rei evidentem intuitionem, quae ad certum assensum praestandum humanam allicit mentem.

IV.

Scientiarum axiomata cuiusmodi sunt quaecumque generalem immediatamque veritatem menti obiiciunt, analytica et synthetica tantum esse defendimus; inter quae illud etiam percelebre recensemus quod in veritatibus experimentalibus futurum simile esse transacto decernit. Haec porro omnia indirecte et per absurdum ad unicum tandem omnium absolute primum principium reduci possunt, quod nobis est contradictionis effatum « Impossibile est idem simul esse et non esse.

V.

Inter notiones quas deprehendimus eminent substantiae et causae conceptus. Horum primus non est reponendus in conceptu qualitatum sensu perceptarum ignotaque ratione coëxistentium; sed in notitia rei per se stantis: alter non in duarum rerum successione constitui debet, sed, ut ad causam efficientem coarctatur, in reali et physico influxu entis unius aliquid a se distinctum quod antea actu non extabat producentis. Qua quidem activitate creaturas donari contra Occasionalistas mordicus tuemur.

VI.

Mens humana neque rerum omnium existentium essentias cognoscere neque in seipsis illas introspicere potest. Nihilo tamen minus eam ex variis atque diversis rerum distinctarum operationibus et proprietatibus ad essentias ipsas reales investigandas tuto pertingere posse contendimus. Quod vero creaturarum essentias attinet, eas, si ab ipsarum existentia praescindimus, a natura et intellectu divino ita dependere defendimus, ut in absurda Dei non existentis hypothesi nihil possibile fore pro certo habeamus.

VII.

Licet obiectiva mundi realitas, utpote quae in iis veritati-

*

bus quæ experimento comperiuntur reposita sit, demonstratione non indigeat; attamen ad coarguendos tum transcendentales, tum vulgares idealistas, et eos qui ex fide non ex sensuum et rationis lumine id nobis innotescere cavillantur, ratione etiam multiplici eam vindicari posse certo asserimus.

VIII.

Pantheismus quem post priscos philosophos, Spinoza cum rationalismi transcendentalis, et realismi absoluti fautoribus instauravit, et recentius etiam novis involucris variatum Ahrens tradidit, omnigenis scatet absurdis. Mundus non est Deus neque huius phoenomenon et evolutio; sed suis constat essentia et proprietatibus immensum a divina natura distinctis et discrepantibus.

IX.

Deus autem qui mundi est supremus artifex non ex praeexistente materia, aut sua substantia, sed ex nihilo et nulla adactus necessitate eum molitus est. Quare opiniones Depuis, Volney, Mirabaud, ejusque generis aliorum aeternitatem materiae tribuentium; Democriti, et Epicuri qui ex fortuito atomorum concursu mundum efformatum esse confixerunt; demum Platonis et Zenonis qui informis materiei hypothesim invexerunt, impugnatas volumus.

X.

Finis quem sibi Deus proxime praestituit in hac rerum universitate molienda praeter suam bonitatem ejusque manifestationem nullus esse potuit; ad hunc vero finem assequendum quamvis sui generis perfectionem continens statutis legibus mundus totus collineet, non inde tamen divinum artificem supra aut praeter naturalem consuetumque rerum ordinem agere aliquando posse, ut sapientiam dominatumque suum evidentius manifestet, negandum est.

XI.

Obiectorum impressio in sensoriis, corporis temperies, nervorum cerebrique motiones comitantur licet aliquo pacto sensibilitatis actum; eum tamen ab iis non constitui posse in compertis esse debet. In eodem confusa quadam ratione semper perceptio alicuius obiecti continetur, quod ad illum excitandum sua etiam activitate concurrit.

XII.

Humana voluntas, appetitus scilicet rationem consequens, in felicitatem numeris omnibus absolutam necessitate fertur; sed in terminata bona quae cum illa non necessario connectuntur vera fruitur libertate. Hanc autem in hoc reponi arbitramur,

ut positis etiam conditionibus omnibus ad agendum requisitis, animus ac tiva qua pollet et eminenti, dixerim, potestate, pro arbitrio se ipsum determinet actionemque ita eliciat ut eam cohibere, vel in contrariam commutare pro lubito potuerit.

XIII.

Cogitatio cum materia ita repugnat, ut ne divina quidem potentia inde efflorescere aut in ea recipi possit. Hinc humanus animus nec corpus aliquod aut corporis pars nec qualitas quæ corpus afficiat, sed substantia quaedam omnino simplex esse debet. Iactatum itaque phrenologiæ vel craniologiæ systema a Gall et a Spurzheim invectum, si materialismi absurditate viduari velit, nonnisi ut instrumenta sensibilitatis animi partes cerebri adiudicare potest.

XIV.

Quum spiritualis substantia ea appellatur quae non modo sit simplex verum etiam ad materiam non definita et supra corporeum omnem ambitum sic evehatur, ut in operationibus snis materiae determinationes omnino transcendat, humanus animus apprime spiritualitatem sibi vindicat. Contra quam luculentissimam veritatem nihil plane ex iunctione eius cum corpore depromi potest.

XV.

Animus neque a parentibus per traducem, neque per emanationem aut decisionem ipsiusmet divinae substantiae originem suam habere potest. Quare dumtaxat ab efficacitate potentissimæ supremæ causae repeti debet, quae nulla pracvia supposita materia (ex nihilo) eam educit cum corpus organis rite ad vitales functiones obeundas instructum coniunctioni illius idoneum evaserit.

XVI.

Praeterea eidem animo immortalitas constat ita quidem ut fato corporis superstes, vita fruiturus sit, et a nullo unquam efficiente sua existentia privari possit. Id quidem ex ipsa animi natura et divinis attributis adeo evidenti ratione deducitur ut insanire prorsus ii videantur qui veritatem hanc quae cum humano genere invetcravit ut suis passionibus blandiantur in dubium revocare non erubescant.

XVII.

Neque Empirismus Lockii et Condillachii, neque formalismus Kantii caeterorumque transcendentalium, et ecclecticorum rationalismus veram idearum originem suppeditant. Ad eam explicandam modo humanae naturae consentaneo vis quaedam

animo ingenita statui debet, quæ in obiectis sensui propositis tamquam a materia cognitionum, eas sibi notiones detegat quae ad intelligentiae ordinem pertinent.

XVIII.

Quidquid contra cavillatur Kantius, non modo ex primis humanae intelligentiae principiis sed etiam multiplici argumentorum genere Dei existentia luculentissime evincitur. Huic si addas impossibile esse plures Deos comminisci; eiusdem summi Numinis unitate constituta, una simul atheismum, dualismum, et politheismum inter insanias recensueris.

XIX.

Licet humani ingenii imbecillitati perfectam divinae naturae cognitionem assequi non datum sit, id tamen ei fas est procul dubio definire, ut Deus esse dicatur Ens supremum a se necessario extans, perfectiones omnes sine limite, defectu et compositione ulla continens, infinita intelligentia, ac immutabili perfruens voluntate.

XX.

Denique elucet in omnibus quae mundum conflant et ex-

ornant ipsius Dei sapientissima providentia, ita sane ut non solum ad genera rerum aut nobiliores creaturas, sed ad singula quoque individua infimasque naturas sedulo protendatur. Immo ipsa mala quae rebus admisceri deprehendimus, quin divinae gubernationi vel minimum adversentur eamdem fulgentissime comprobant atque patefaciunt.

